cccc

Status integritatis fuit status immortalitatis.

HEu! æterna dies, & nulli debita nocti,
Perpetuus vortex, atq; irrevolubilis ætas,
Quæ semel innocuo paulùm diluxit Adamo
Moribus integris hortúmq; Deúmq; colenti:
Heu! comes Astrææ terras irata reliquit.
O primæve pater, mundíq; tuíque Monarcha,
Te nisi subductâ fraudâsset fœmina costâ,
Non tua mortiferis patuissent corda sagittis,
Nec nos tinxisset pomi lethale venenum.
O quàm perpetuo stagnâssent tempora vere,
Ætatis nemo medium vixisset ad annum,
Cuique sibi plures proavis numerare nepotes
Contigerat: nam quisque sibi successor & hæres,
Historicus, vates, annales, charta, patronus,
Causidicus, testis. Nullæ post funera lites.
Natus enim frustrà patrios inquireret annos,
Movissent exempla viros plùs legibus ullis:
Nec jacuisset iners mandata scientia libris,
Lingua foret calamus, natorum corda papyrus.
At telæ non Parca suæ, sed prodiga Clotho
Cùm nimiùm tenui vitam contexere filo,
Ingeniúmque homini voluit par esse Deorum
Notitiæ, tenuis disrumpitur illicò tela.
Tu tamen, ô Proteu, fallax, & lubrice serpens,
Qui te mille modis, variísq; anfractibus urgens
Insinuas in corda virûm, primíque parentis
Viscera sparsisti, priùs intemerata, veneno;
Nè jactes nimios genus in mortale triumphos:
Nam primi delicta patris lustravit abundè
Filius, alter Adam, pœnámque levavit honore,
In cruce, cùm subiit, peccati præmia, mortem.
Sic vice mutatâ mors crevit ab arbore vitæ,
Et nobis en vita repullulat arbore mortis.

ERGO,

Ut per peccatum patet atri janua Ditis,
Factus peccatum Christus fit porta salutis.

Vita æterna promissa fuit sub Veteri Testamento.

NOndum futuri Temporis Arbiter,
Rerúmq; Dictator, reducem Pharo
Mosen, Erythræísque duxit
Isacidûm pia castra lymphis;

Dum ruptus hinc atq; hinc citus impetu
Pontus rigenti dissiliit freto, &
Circum pependêrunt euntes
Marmoreis maria alta muris.

Cùm jam renidens leniter (ô amor!)
Mortalibus concesserat, aureis
Mensis reclinari, & faventûm
Ambrosiæ accubuisse Divûm.

Quin nec renarrat postera melleis
Manare solùm sêcla liquoribus,
Viníque rivos, & beatas
Lacte novo trepidare ripas:

Nitente mentis remigio, licet
Ultra ista tendas Isacidûm Domus,
Fontésque Jordani, & dolosi
Prætereas breve fulgur auri.

Cœlúmque scandas ut patrium, tibi en
Scalam Jacobi! quam neque turbidus
Auster, neque emotus refuso
Subruat Oceanus profundo.

Suprema quando & stelligerum dies
Claudet theatrum, per superas domos
Cernimus ô quantum vagantem
Abramidûm Isacidûmque nimbum!

ERGO, Socini progenies mala, &
Infausta Fausti hinc ocyùs exulet
Producta proles in nepotum
Perniciem, opprobriúmque sêcli.

Julii 2. 1655. *In vesperiis Comit.* *Resp. pro gradu Doct. in Theol.*
Theoph. Dillingham, *Aul. Clar. Præf.*

Dr Masterson Coll: D. Joann. Soc.
Dr Tuckney Coll: D. Joann. Præf.
Dr Horton Coll: Reginal: Pres.
Dr Whitchcot Coll: Regal: P.
Dr Seaman Coll: Petrens: Præf.
Dr Cudworth Coll: Christi Mag.
} Opponent:

Dr Lightfoot Aul: Cath: Magr. Procan. m